

P I S A

1 6 0 8

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Hd. 11.

XII.
THESES PHYSICAE
DE
SENSIBVS INTE-
RIORIBVS

Q V A S

CHRISTO DOMINE ET AVSPICE:

Spectabili DECANO

CLARISSIMO VIRO DN. M. ÆMI-
LIO PORTO FRANCISCI PORTI CRETENSIS

F. LINGVÆ GRÆCÆ PROFESSORE ORDINARIO:

PRÆSIDE

HVMANISSIMO ET DOCTISSIMO VIRO,
DN. M. IOHANNE BALTHASARO BAVMBACH,
HEBRÆÆ LINGVÆ PROFESSORE.

*In perantiquâ & celeberrimâ Serenissimæ Principis FRI-
DERICI IV. Electoris Palat. Academia,*

Libero Philosophantium iudicio, & censure publi-
cè examinandas subijcit,

IOANNES CRAMERVS

SERVESTANVS ANHALTINVS,

Philosoph. Candid.

*In magno Philosophorum Auditorio,
Horis consuetis,*

Ad diem XV. Februarii.

HEIDELBERGAE

TYPIS VOEGELINIANIS.

ANNO

Hodie si Mihi, Cras tibi,

REVERENDIS CLARISS. DOCTISS.
OMNIVMQ. VIRTVTVM GENERE

ORNATISSIMIS VIRIS,

DN. M. VVOLFANGO AMLINGO SS. Theologiae Professore ordinario,
Verbi divini apud Servestanos Interprete dexterrimo, totiusque Dioeceseos
Anhaltinae Inspectori vigilantissimo:

DN. M. CASPARO VLRICO, apud eosdem ad Divi Bartholomaei Aedem
Ephoro, & SS. Theologiae Professore dignissimo:

DN. M. GREGORIO BERSMANO, Illustris Gymnasii Sora-
borum Rectori merissimo:

DN. M. BALTHASARO KISVVETTERO, ejusdem Gymnasii
Professore, & Inspectori praestantissimo:

DN. M. ALBERTO VOITO, ibidem Philosophiae, & Sanctae
linguae Professore fidelissimo:

Nec non

AMPLISSIMIS PRVDENTISS. ERVDITIONE, VIR-
tute & Pietate praestantissimis viris,

DN. M. PETRO RVHELIO

DN. IACOBO GREGORIO

} Inclytae Reipub. Servestanae Cofs. dignissimis:

Dominis Praeceptoribus, Patronis, ac Moeenatibus suis Fide, Amore,
& omni Observantiae genere colendis,

*Haec Theses Physicas in studiorum suorum μαρτύριον, Amoris, Gratitude, ac
debitae Observantiae τιμήριον, Beneficiorum χάρισθαιον*

DAT, DICAT, DEDICAT

IOHANNES CRAMERVS SERVESTANVS ANHALTINVS,
AVTOR ET RESPONDENS.

Miles atrox Marti, Neptuno Navita fictis
Grandia Patronis reddere dona solent.
Sic ego pro meritis, quamvis exilia, veris
Nunc mea Patronis munera mitto meis.
AMLINGO, sacrae Legis, Verbiq; Ministro:
CASPARO, populum qui sacra IVRA docet.
Et BERSMANE tibi, rotum vulgate per orbem;
Cujus posteritas nomina sera canet. (lendis:
Necnon BALTHASARO, VOITOq; ex corde co-
GREGORIO docto, docteq; PETRE tibi.
Omnibus en! vobis FAVTORES, atq; PATRONI
Hos studii fructus do, dico, sacro mei.

Qui GRATI vobis Animi sint signa, volentis
Maxima, si posses, reddere dona suis. (nus
Hoc igitur, quonia desunt mihi splendida, mu-
Exiguum, Phoebus quod dedit, ACCIPITE.
Meq; simul sumtu, solito pro more, FOVETE,
Et placida Musis mentes FAVETE meis.

Myrtilleti

Ex Museo nostro

A. D. Prid. Non. Febr. anno

Nobis PraeCanDVM.

D E
SENSIBVS INTERNIS.

Thesis I.



ARISTOTELES summus ille Philosophus doctrinam Sensuum Exteriorum scitu valde esse dignam, ac necessariam, ostendere volens, eam ita commendavit, ut dixerit, planè nullum Animal esse, aut dici posse, quod non Sensu sit präditum. Cùm autem neminem Sensibus tam Externis, quàm Internis ornatum lateat, Sensus Interiores Exterioribus longè esse præstantiores, ratione tum Organorum, tum Objectorum: nos iterum & opera, & cura, & temporis, & officii pretium facturos esse censuimus, si & INTERIORVM SENSVM, Exterioribus satis superq; explicatis, doctrinam addiderimus, eamq; eadem, quàm nos antea in Externis quinque Sensibus explicandis, usi sumus, methodo Bonarum artium Studiosis videndam, legendam, cognoscendam, judicandam, disceptandam, examinandamq; publicè exercitii gratiã subjecerimus. Nulla enim res est, cujus notitiam illi, qui rerum Physicarum scientiam inquirunt, & Sapiètes evadere cupiunt, magis indagare, atq; enixius per vestigare debeant, quàm illa Sensuum doctrina, quorum vis ac operatio ad ipsius Animalis ESSE pertinent.

Lib. 3. de Anim. cap. 12. tex. 60. Item: Lib. de Sens. & Sensil. ca. 1.

II.

Et ut missis longis verborum ambagibus, quæ hic nullū habere locum videntur, ad rem ipsam accedamus, nostram hanc Disputationem à materia proposita Definitione, & Divisione rectè inchoabimus.

III.

Sensus igitur INTERIORES sunt facultates organicae intra cranium, ad rerum sensibilibus imagines tam præsentis, quàm absentes rectè percipiendas, diligentius examinandas, ac diu-

tius conservandas destinata, actionibus Sensuum Exteriorum excellentes. Interni dicti sunt à suis organis, quæ Interna sunt: sicut & Externi, quòd organa Externa, & extra cerebrum posita habeant, nomen suum accepisse censentur.

IV.

De INTERNORVM Sensuum numero Medici & Philosophi non conveniunt. Alii enim plures, alii pauciores statuunt. Nos Galeni divisionem, tanquam mediam & optimam secuti, qui tot facit Sensus Interiores, quot sunt ventriculi cerebri, TRES esse arbitramur, Sensum scilicet COMMVNEM, PHANTASIAM, & MEMORIAM, quorum priores duo sensus Concipientes dicuntur; posterior verò Conservans.

V.

Arist. lib. de
Mem. & Re-
min. cap.

Zabarel. li. de
facult. Anim.
cap. 12.

Etsi autem nonnulli ultimum hunc Sensum, Memoriam scilicet ex Interiorum Sensuum numero exterminare conantur, dicentes, eum non esse Apprehensivum & Cognoscitivum, sed tantum Conservativum Imaginum, quarum Thesaurus & Promptuarium dicitur. Nos tamen, non simpliciter illum, qui sensilia apprehendit & dijudicat, sed etiam eum, qui ad Sensationem aliquid confert, sensum meritò dici debere, respondemus. Quia verò sensibilibus specierum semel perceptarum conservatio non minus necessaria videtur, quàm ipsa dijudicatio, Memoriam quoque in numerum sensuum Interiorum referri posse, arbitramur.

VI.

Invento igitur numero, de singulis Internis Sensibus speciatim differamus, in quibus proponendis, & ritè explicandis, hæc quatuor præcipuè consideranda sunt. 1. Eorum Definitiones. 2. Objecta. 3. Propria cuiusque Organa. 4. Singulorum Sensuum Interiorum functiones, seu Officia.

I.

DE SENSU COMMUNI.

VII.

SENSUS COMMUNIS est Sensus Interior, qui rerum
imagines.

imagines à sensibus Externis oblatas apprehendit, apprehensas cognoscit & distinguit.

VIII.

Communis dicitur, vel quòd omnium Externorum Sensuum Objecta, tanquam communis Iudex, & Arbitrarius pro tribunali sedens, communiter percipiat & dijudicet: vel quòd ita in omnibus animalibus sit, ut $\kappa\omicron\iota\upsilon\eta\ \epsilon\upsilon\upsilon\omicron\iota\alpha$ in omnibus hominibus, quæ ratio melior, & verior putatur.

IX.

Hunc Aristoteles rectè cum circuli centro videtur comparare. Quemadmodum enim quodlibet centrum, in quo omnes lineæ, quæ à circumferentiâ duci solent, conveniunt, unum esse perhibetur: plura verò, si lineæ plures ab eodem ducuntur: sic quoque Sensus communis, quatenus fons & origo sensuum Externorum existit, variâq; & diversa recipit objecta, multiplex: quatenus verò est eorundem finis ac perfectio, deq; variis illis & diversis objectis apprehensis dijudicat, re & numero unus appellari potest; quia unâ & eadem functione, uno & eodem tempore universa illa & singula simul individue percipit, haud secus, quàm visus multas colorum differentias simul uno tempore apprehendere potis est. Et sicut Punctum extrema quidem lineæ conjungens, vel Instans duo simul tempora copulans, unum est formaliter, ratione verò multa: Ita etiam de sensu Communi rem sese habere, existimandum est.

Lib. 3. de Ani.
cap. 2. text. 149.

X.

Ejus OBJECTUM est qualibet passibilis & sensibilis qualitas: seu species cujusque rei in Memoriam remanens, postquam à Sensibus Externis est oblata.

XI.

Subiectum autem hujus sensus Cerebrum statuimus, quia hoc sensus communis, omniumque Internorum commune $\alpha\iota\delta\eta\tau\eta\epsilon\iota\omicron\nu$, atque ita omnium nervorum fontem, & originem esse arbitramur.

XII.

ORGANVM igitur sensus Communis est in geminis cavitatibus, si ve cerebri ventriculis anterior pars, seu totus anterior ventriculus, qui ad imprimendas rerum imagines propter humiditatem, quâ ipse prae datus est, aptior judicatur. Et quia hujus sensus proprium est, omnium rerum simulacra apprehendere, eaq; distinguere, merito illum, ut communem aestimatorem, in primâ cerebri parte ponimus, ad quam necessario, tanquam sensibus Externis organum vicinius, omnes rerum sensibilibus species, priusquam ad alias veniant, transmittuntur.

XIII.

OFFICIA seu functiones illius sunt hæ: 1. Ea, quæ à singulis Sensibus Externis sunt percepta, apprehendere. 2. Eadem à se invicem discernere, & distinguere. 3. Omnium Externorum sensuum operationes cognoscere, illorumq; objecta inter se conferre, ac tandem diversorum objectorum differentias diligenter perpendere. Et tantum de Sensu Communi: sequitur nunc de altero sensu, scil. de Phantasiâ.

II.

DE PHANTASIA.

XIV.

PHANTASIA est sensus Interior, qui formas & effigies rerum à Sensu Communi apprehensas, vel etiam à seipsâ effictas, atque efformatas conservat, easq; diligentius examinat.

Videatur Arist. lib. 3. de Anim. cap. 3. tex. 161.

XV.

Hac duplex est. 1. λογικὴ, id est, Rationalis, quæ soli Homini propria est, & de quâ Aristoteles dicit, Intellectum, possibilem scil. & corpori alligatum, non intelligere sine visis & phantasmatis. In solis enim incorporeis spiritibus perfecte DEI, & divinorum contemplatio sine phantasmatibus fieri dicitur.

ri dicitur. Hac utuntur plerunq, illi, qui artem Memorati-
vam exercent, animo sibi fingentes in diversis locis, & angulis
alias atq, alias imagines. 2. Αἰδμηλὴν vocatur, quæ homini
cum Brutis communis est teste Aristotele. Non autem eo
modo in Brutis, quo in Hominibus operatur. In Brutis enim
animalibus ex puro puto naturali agit instinctu; In Homi-
nibus verò eam animæ rationalis facultas regere & corrigere
solet.

Lib. 3. de Ani.
cap. 3. tex. 162.

XVI.

Φαντασία, Latine Imaginatio, à Græco vocabulo Φάσις, id
est, à luce & lumine dicta putatur. Cum enim Imaginatio
earum sit rerum, quæ perceptæ sunt actu, & Visus omnium
Externorum sensuum Excellentissimus, & Acutissimus judi-
cetur, Græci Φαντασίας vocabulum rectè ab eo, quod in visu
optimum & maximè necessarium est, deducunt. Visio enim
teste Aristotele, non fit sine lumine. Et sic nos quoq, Φαντα-
σία à lumine vocatam arbitramur.

Ibidem.

XVII.

OBJECTVM ejus sunt omnia rerum spectra à sensu com-
muni excepta, vel etiam phantasmata, seu visa, quæ propriâ
vi sibi ipsi fingit & efformat. Vnde etiam quibusdam Fictrix
& Imaginatrix dici solet.

XIX.

ORGANVM seu Instrumentum hujus Sensus est medi-
us ventriculus, sive mediæ cerebri pars, quæ minus est humida,
& aliquo modo magis sicca & dura, quàm pars anterior, id-
eòq, ad species semel impressas diutiùs retinendas accommo-
datior.

XIX.

OFFICIA illius hæc sunt: 1. Rerum imagines à sensu
principe cerebro impressas, ordine inter se copulare, & compo-
nere. 2. Easdem imagines melius & accuratius perpendere
ac dijudicare. 3. Ex his alias novas, & sensu nunquam per-
ceptas elicere, ut ex picto viventis gestum & impetum.

A 4 4. Spe-

4. Species semel oblatas in custodiâ retinere, easq; denuò proferre.

XX.

Phantasia à Sensu Communi sic differt. Sensus communis præsentia tantum objecta sensibus Externis adhuc agentibus apprehendit, & cognoscit. Phantasia autem etiam illis cessantibus, absentium rerum imagines semel animo impressas conservat, & quoties opus est proferit. Hinc Homines etiam absente equo, vel asino, tamen qualis sit equus vel asinus, optimè sciunt, quia horum species antea perceptas in Phantasiâ adhuc habent. Sic videmus canes ab herò percussos fugere, quia tactu sentiunt verbera inferre dolorem, & sensu communi dignoscunt eadem esse mala: horum autem species in Phantasiâ habent reservatas, & propterea Dominum, aut alium quempiam percutientem deinceps fugiunt. Et hæc quoq; de Phantasiâ dicta sufficiant: sequitur jam Sensus Internus ultimus, quæ Memoria dicitur.

III.

DE MEMORIA.

XXI.

MEMORIA est sensus Interior, qui omnes rerum imagines perceptas, examinatas, & judicatas firmiter atq; diutius recondit ac conservat, ut illas ex hac, tanquam Thesaurò & Libro aperto, Phantasia, cum opus fuerit, legere & proferre possit.

Zabarell. lib.
de Facult. ani-
mæ cap. 12.

XXII.

Hæc, quam Plato Musarum, & omnium Artium Liberalium Matrem appellavit, duplex est: 1. Intellectiva, quæ in ipsâ animi substantiâ insidet, cumq; Intellectu una ac eadem animi nostri Facultas re & essentiâ perhibetur. Et hæc solis Hominibus inest. 2. Sensitiva dicitur, quæ per se quidem vim rerum sensilium imagines cognoscendi non habet, neq; habere debet, propterea quòd facultas cognoscitiva non potest sine
cogni-

Vide Arist. li.
3. de Anim.
cap. 4. text. 6.

cognitione recipere speciem. Species enim recepta nihil aliud est, quam cognitio ipsa; plura autem simul cognosci minimè possunt. Et hac Anima sentientis, non intelligentis propria est affectio.

XXIII.

Vnde etiam hanc multa bruta animalia, ratione carentia habere rectè dicuntur. Equi enim, canes, aves, oves, & boves, caprae & capellæ certa sua loca, certos nidos, ac certa latibula reperere, suamq; sobolem præ multis aliis internoscere possunt. Quæ omnia fieri esset impossibile, nisi illis quoq; memoria quædam inesse existimaretur.

Arist. lib. de Mem. & Reminisc. cap. 1.

Arist. 4. de Hist. Anim.

XXIV.

Non autem in omnibus Brutis memoriam inesse statuimus, sed in iis tantum, quæ tempus aliquo modo possunt cognoscere, seu, quæ temporis sensum habent, ut sentiant prius & posterius, quæ sunt in tempore. Aliàs inter Hominem & Beluam hoc maximè interest, quod hæc tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodq; præsens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens præteritum aut futurum.

Cic. lib. 1. Off.

XXV.

OBJECTVM igitur ultimi hujus sensus Interioris sunt omnes ab aliis Sensibus Interioribus receptæ, & animo impressæ rerum sensibilium remotarum imagines: quia sola res hinc remota, ac præterita ipsi subjiciuntur, sicut & reliquis sensibus. Externis tantum præsentibus; opinioni verò vel spei, & expectationi futurae duntaxat.

Arist. lib. de Mem. & Remin. cap. 1.

XXVI.

ORGANVM ejus est posterior cerebri ventriculus, seu postrema cerebri pars, quæ occipiti est subjecta. Vnde quidam occiput bonum, inq; eo quasi tumorem quendam magnum habentes, bonâ valere memoriâ prædicantur.

XXVII.

Memoria igitur pro variâ cerebri constitutione, est vel Acrior, vel Hebetior. Quibus enim cerebrum moderatè est calidum:

As calidum:

Ari. de Mem.
& Reminis.
cap. 1.
Scalig. Exerc.
307. sect. 28.

calidum & siccum, illi memoriam Firmiorem habent. Econtra verò Debiliorem aut Hebetiorem habere censentur ii, quibus cerebrum aut nimis est humidum, aut nimis siccum. Illud namq; propter mollitiem, & fluxibilitatem rerum sensibilibum imagines non facile recipere potest, ut in pueris videre licet, qui ideo parum sunt memores: Hoc verò propter duritiem rerum simulacra agrè admittit ac percipit, perceptasq; difficulter retinet, quod senibus contingit, quibus plus justo cerebrum est exsiccatum, duriusq; redditum.

XXVIII.

Functiones seu OFFICIA Memoriae sunt haec; 1. Omnes rerum sensibilibum species judicatas, atq; cogitatas recondere. 2. Has animo impressas firmitus conservare. 3. Easdem quoq; cum opus fuerit exhibere, & in medium proferre.

XXIX.

Li. 1. de Mem.
& Reminis.
cap. 1.

Et haec Memorativa Facultas secundum nostrum Aristotelem fieri dicitur, quando res Sensibus perceptae in animo sentiente veluti picturam quandam relinquunt, non aliter, quam sigillum sui speciem in ceram imprimit, quae etiam remoto sigillo remanet.

XXX.

Arist. Ibid.
cap. 2.

Haec species in cerebro impressa, ac relicta, si moventur, fit Recordatio, quae Graecis ἀνάμνησις, vulgò Reminiscencia dicitur, nihilq; aliud est, quam Progressio, quae ex uno ad aliud cogitatione & ratiocinando transire possumus ad ea recognoscenda, quae nec memoriâ occurrebant, nec à memoriâ penitus exciderant.

XXXI.

Arist. Ibid.

Et quia haec consecutio fieri nequit sine adhibitâ quâdam Inductione ac ratiocinatione, non Brutis animalibus, sed tantum Hominibus competit, qui soli per indicia, tanquam vestigia quadam, hinc inde ducuntur, eaq; , quae antea visa, audita, picta, ficta, facta, acta & cogitata erant, recolligunt & ad animû revocant. Atq; sic totam doctrinam Sensuum tam Exteriorum, quam Interiorum absolvimus.



COROLLARIA.

I.

LOGICVM.

An Dialectica inter artes Logicas h. e. inter Grammaticam & Rhetoricam sit Prima? Affirm.

II.

ETHICA.

1. *An Iuvenes à doctrinâ Ethicâ simpliciter sint excludendi? Neg.*
2. *An aliquis ante obitum vitæ suæ Beatus appellari queat? Affirm. cum Aristotele lib. 1. Ethic. cap. 10.*
3. *An ille, qui sibi ipsi manus violentas infert, Fortis dici possit? Neg.*
4. *An is, qui in distributione bonorum sibi minus distribuit, injuriam sibi facere dicatur? Verior est Negans.*
5. *An Incontinens sciens & contra voluntatem agat? Dicimus utrunq., sed diverso respectu.*
6. *An ad perfectam Felicitatem etiam bona Externa sint necessaria? Affir.*
7. *An Pueri sint capaces εὐδαιμονίας, seu Beatitudinis ac Felicitatis Civilis? Neg.*
8. *Vtrum summum Bonum, seu Beatitudo in solo habitu Virtutis consistat, an potius in operatione per se expetendâ? Posteriori subscribimus.*

Μόνον τῷ Θεῷ δόξα.

Ε Π Ι Γ Ρ Α Μ Μ Α

AD ORNATISSIMUM ET ERVDI-
TIONE PRÆSTANTISS. VIRVM DN. IOANNEM

CRAMERVVM SERVESTANVM, DE SENSIBVS IN-
ternis disputantem pro summo in Philosophiâ
honore obtinendo .

Εὖγε Ιωάννης πολυφίλταθ' ἑταῖρε Κραμῆρε
Ζυμπατριῶτα ἀγνῶν Πιερίδωντε τέκθ .
Ταῦτα ποιῶν σεο γὰρ μέγα τῆνομι' ἐν αἴᾳ ἐσεῖται
Τοῖς τε κασιγνήτοις δλεκτὸς ἔση τε γονεῖ .
Πρὶν μὲν εὖ κρατερῶς τε μένθθ θυμοῖο ἔδειξας,
Θείης τ' εὐφυΐης κάλλιμα δῶρα σέθεν .
Ὅτι καλῶς διελέξω ἕπερ, τὰ κνώδαλα γαίης,
Τῶν αἰοθήσεων, ἃς πάντα κατ' ἔξω ἔχθ .
Νῦν πάλιν αὖ πλεῖςθ διδαχῆς, ἐνὶ παμφανέωνθ
Ἰσάμθθ καθέδρα, ἀγλαὰ ῥητὰ λέγθς .
Δόγματθ καλὰ λέγθς τὰ Ἀμαλθεῖόν σεο ἰχθθ,
Ἦγεν τ' ψυχῆς ἔργα, τὰ ἐντὸς ἔχθ .
Ταῦτα διά κλέθθ ἐσεῖταιί σε πρᾶγμα εὐρὺ
Πᾶσιν ἐν ἀνθρώποις γαίαν ἐπ' εὐρύαλον .
Ἦνίδε σε κεφαλῆ σέφανθθ, τεκμήριον ἔσαι,
Ἄψ Ἰππιησόμθθθ, δλεκτύλιός τε χερί .
Οὕτω θυγατέρες μεγάλα Διὸς ἐκγεγαυῖαι
Τιμῶσαι δλώροις τῆς θεράποντας ἔς .
Εὖγ', εἴτ' ἰφι Κραμῆρ' ἀνεχθ καὶ ἄσπετα κεδνῆς
Ἐδνα λαβὼν θέμιδθθ, χρήσιμα πόλλα πρᾶγεῖς .

M. Bartholomæus Schröterus Anhaltinus
Cosynvigijs Philo-mathes.

F I N I S.

Fc 1249.
gn


ULB Halle 3
003 422 747




Bitte noch kein
Sammelbd. verwenden
nach Ausleihe
an Retro-Ecke
OK
Zurück!

VD 17







PHYSICAE

S INTE-
IBVS

AS

ET AVSPICE:

ECANO

O DN. M. ÆMI-
CI PORTI CRETENSIS

ESSORE ORDINARIO:

I D E

DOCTISSIMO VIRO,
HASARO BAVMBACH,
E PROFESSORE.

Serenissimi Principis FRI-
is Palat. Academia,

idicio, & censuræ publi-
as subjicit,

R A M E R V S

ANHALTINVS,

Candid.

um Auditorio,

uetis,

Februarii.

B E R G A E

ELINIANIS.

O

Cras tibi,

an 12

